



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Innumera.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

*At nobis pax alma veni, spicamque teneto,  
profluat & pomis candidus ante sinus.*

*---Pax enim candida primum  
Duxit araturos sub juga banda boves.*

Item,

*Pax aluit vires, & succos condidit uvæ,  
Eunderet ut nato testa paterna merum.*

*Pace bidens vomerque vigent: ac tristia duri  
Militis in tenebris occupat arma situs.*

DIANÆ TRICLARIÆ SACRUM. CAP. XIV.

**E**Rat & spica corona insigne atque gestamen eorum adolescentum, qui Dianæ Triclaræ sunt immolare soliti apud Patrenses, mollienda numinis indignatione, quam Menalippus atque Camarcho templo deæ turpiter violato in cives contraxere.

DE LOLIO. CAP. XV.

**T**riticæ coronæ gestaminive contrarium est lolium, quod quantum seges ipsa felicitatis affert, tantum hoc infelicitatis, & incommodi: secum enim invidiam, & quandam animi pravitatem trahit.

PRAVI MORES. CAP. XVI.

**M**orum enim corruptorum id omnino indicium est: quare Antisthenes non temere dicere solebat, absurdum esse triticum à lolio non repurgare, qui sentiret ex hoc invidos à Repub. summovendos, ut Plutarchus interpretatur: tam enim inutiles invidi sunt civitati, quam lolium est tritico; qui vero invidus est, suam ipse sibi fovet infelicitatem: quandoquidem Horatius ex Phalaridis sententia dicto sumpto,

*Invidia Siculi non invenerunt tyranni*

*Majus tormentum, ait.*

Et quod ad corruptos degeneresq; mores facit, ita Virgilianus pastor lamentatur,

*Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcus,*

*Infelix lolium & steriles dominantur avenæ.*

*Idem D. Laert. in Antistheno. Epistola 2. Et in Evangelio, Inimicus supereminavit zizaniam, id est lolium, inter triticum.*

DE MILIO. CAP. XVII.

**V**irtus ideo humano generi utilis atq; commoda, qua milium egregie pollet, efficit, ne ab hieroglyphicis expelli debeat. Nam si quis hominem, qui declinare sciat infortunia, hoc scriptura genere ostentare voluerit, apte Serpentem pinxerint milii furculo circumvolutum, anguis ipsius capite deorsum dejecto, cauda superne sita: quandoquidem ex milio panis præsumptus, incolumem sospitemq; præstat à veneno, naturæ beneficentia, quæ mortale genus remedio tam parabili, atq; omnibus obvius præmunire voluerit contra pestem adeo perniciosam. Idq; tradit Dydimus in his, quæ de re rustica scripsit.

*Hominis providi symbolum.*

INNUMERA. CAP. XVIII.

**S**unt etiam qui spicam milii hieroglyphice pro millenario numero ponant, ac perinde pro innumereis, quia tale etiam est millenarii significatum. Neque desunt, qui numerum ipsum mille, à milio dictum vellent.

*Sed potius milium à mille.*

DE MODIO. CAP. XIX.

**S**ed ut ad onycè revertamur, modius in ea incisus est: is quid sibi velit explicemus. Sed quoniam in numis, in picturis, in sculpturis, atq; aliis antiquorum monumentis spectare est alibi modium, alibi late patentem urnulam, nonnumquam & cyathum, sæpius vero calathum, & quicquid vel humilis, vel solidiorum est corporum capax, in Serapidis capite superpositum illi enim plusimùm vasa hæc